

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema LII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

THEMA LII.

Pfal. 42. v. 2. & 3.

Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te Deus. Sicut anima mea ad Deum, ad Deum vivum, quando veniam & videbo faciem Dei?

DISPOSITIO.

Prouerb. 11. vers. 23. dicit Salomon, Desiderium iustorum bonum est: & cap. 10. v. 24. Desiderium iustorum dabitur illis.

Tales enim nihil desiderant magis quam quod vel ad Dei honorem, vel ad ipsorum salutem est necessarium. Quale est illud Davidis desiderium, quod nobis hoc loco describitur vbi desiderat & sicut David sicut ceruus ad fontes aquarum.

Nos itaque Davidis hoc desiderium primum explicabimus: Deinde quodnam omnium piorum maximum desiderium esse debeat, indicabimus, vt cum venerit quod desiderauimus, deleatetur anima nostra, Prouer. 13. vers. 19.

Textus.

1. Ad te desiderat vel anhelat (in germ. Luth. *Schreyet* scil. cum magna aviditate, wie das Pferd nach dem Futter schreyet /) anima mea, ð Deus. Id aliis verbis explicat Psal. 84. v. 3. *verlangt*.

2. Desiderium explicat similitudine, de ceruo, desiderante aquas. Certum est, quod cerui in venationibus à canibus agitati vicina statim flumina siue stagna petant: vel quod in illis à canibus insequentibus sperent securitatem (id vero non semper illis contingit) quod sic membra calore æstuantia & lassata, fessa atque languida reficere velint.

3. Quia vero desiderium suum per fitim in versu sequenti

quenti explicat (quod sicut sitiens aquam, ita ipse desideret Deum) ideoque veteres, ut Augustinus & Arnobius & hos sequuti plures alii hanc similitudinis istius de ceruis rationem reddunt. Cerui viribus destituti ad caernas serpenti accedunt, & anhelitu suo extrahunt eos, atque extractos pedibusque conculcatis deuorant. Vbi vero venenum in illis sitim excitat vehementem, properant ad flumina, ut sitim restinguant & nouas vires acquirant. Ita Psaltes ostendit, se magno desiderio Dei teneri, & sic sitire Deum viuum, ut ad ipsum votis animi sui properet, sicut sitiens ad aquas.

4. Sicut autem primum in genere dixit, se clamare ad Deum, & sitire ad Deum; ita iam specialius suum desiderium explicat: Quando veniam & videbo faciem Domini. Quid velit colligitur ex Psal 27. v. 4. Per faciem Domini Psaltes intelligit locum, ubi Deus reuelabat suam voluntatem, quod tum fiebat apud propitiatorium & arcam Domini: ubi promisit se appariturum. Vide Exod. 25. Et huc congregari voluit populum, Exod. 27.

5. Ex quo colligitur, Dauidem composuisse hunc Psalmum in exilio, cum non liceret illi esse in patria & interesse sacris. Est itaque hæc ipsi maxima calamitas, quod cogitur abesse & exulare à tabernaculo Domini & comunione sacrorum.

Idem suum desiderium quoque in aliis Psalmis explicat, ut Psal 122. Lætatus sum in his, &c. & Psal 84. v. 2. & 3. Psal 110. v. 5. & 6. & Psal 27. v. 4.

L O C I.

Hic lubet vos alloqui cum Augustino: Quis est qui sic cantat? Si volumus, nos sumus. Vnum enim corpus est Ecclesia. Nec tamen in omnibus, qui intrant Ecclesiam, tale desiderium est. Credamus autem vnitatis Christianæ esse vocem hanc.

I. Discimus ergo hinc, quodnam debeat esse desiderium omnium piorum; scilicet videre faciem Domini, quæ

quæ reuelata est per filium, qui in sinu patris est, Joan. 1.
v. 18 in verbo.

Non enim videbit ipsum homo in his terris, Exod. 33.
v. 20. nisi in speculo verbi, 1. Cor. 13. & in ænigmate illo.

Hic apparet facies illius gratiosa poenitentibus & piis.

Mundus de hoc parum est sollicitus & desiderat hono-
res, diuitias, voluptates. Plures sitiunt vinum, nō Deum,
&c Et anima mea sitiuit Deum, ait Psaltes, non hic tan-
tum, sed & Psal 63. v. 2. Et Psal 84. v. 3. Verbum tuum de-
siderat anima. Idem vide Psal. 119 v. 20. & 40. & 13. &
147.

Hoc vocat scriptura esurire & sitire iustitiam, & tales
beati pronuntiantur. Matth. 5. v. 6. Et promittitur siti-
entibus aqua illa, Joan. 4. vers. 14. Joan. 7. vers. 37 Qui sitit,
veniat ad me, Apoc. 21. vers. 6. sitiienti dabo de aqua vitæ,
Esa. 55. v. 1.

Quibus locis desiderium spiritualis refectionis ex ver-
bo Dei deserbitur, de quo etiam Esa. 26. v. 8. & 9. & 19.
6. v. 37. Psal 1. v. 2.

Vtinam sic sitirent, & desiderarent nostrates hæc po-
tius quam mundam, At sordent illis hæc.

II. Sicut autē Dauid desiderat videre faciem Domini
in his terris, innolutam & rectam (vt ira loquar) verbo: &
post hanc vitam etiam, cum cuiglaucrit. se fatiandum i-
magine Dei sperat Psal 17. v. 15. ita nos quoque desiderio
magno desideremus videre Deum, non tantum hic in
verbo, & vt diximus in speculo & ænigmate, sed facie ad
faciem, 1. Cor. 13. v. 12 & sicuti est 1. Joan. 3. v. 2.

Istud demum desiderium, si venerit & completum fue-
rit, exhilarabit cor, Prou. 13. v. 19.

Tale fuit desiderium in Simeone & Christi Saluato-
ris videndi in carne, & videndi Dei, vbi in pace dimissus
fuerit, Luc 2. v. 26 & 29.

Tale desiderium Hiobis cap. 19 Videbo in carne mea
Deum. Dauidis Psal. 17. v. 15. & Psal. 8. v. 4. & Psal 116. v. 9.
Pauli Cupio dissolui, Phil. 1. Et

Et sicut rogauit Moses, vt posset videre faciem DEI. Exod. 33. v. 20. & 23. Ita rogemus nos potius ex Christi mandato: vt adueniat regnum Dei: vt tum videamus faciem Dei, 2. Cor. 5. Desideramus.

Stulti ergo sunt, aut faciem Dei videre non cupiunt, qui horrent mortem, & nolunt dimitti aut dissolui. Eriplica hoc latius, &c.

De impiis quidem non mirum, quod non desiderant id: quibus illud Amos 5. v. 18. Vt desiderantibus, &c, dici potest. Et illud Mal. 3. v. 1. Quis sustinebit? At pii sciunt se visuros Deum propitium, propter Christum. Pacem habent, Rom. 5. v. 1.

F I N I S.

T H E M A LIII.

Psal. 50. v. 15.

Inuoca me in die tribulationis: & ego eripiam te, & tu glorificabis me.

D I S P O S I T I O.

Dauid Psalter regius Psal. 77. v. 3. & 4. sic habet: In die tribulationis meae exquisiui Dominum. Idem cum perturbatus sum recordor Dei, & angustias cordis mei loquor scilicet cum Deo, in precibus meis. Sic se dolorem suum lenire posse, innuit.

Vnde autem illi hoc xniuersele remedium fuerit monstratum contra omnes perturbaciones, corporis & animi, in vita & morte, patet ex hoc loco, vbi ipse Deus loquitur, dicens: Inuoca me, &c. At sic Deus tribus verbis tria grauissima, nobis necessaria & vilia, ipsi vero grata & gloriola comprehendit.

Inuocare enim & glorificare pertinet ad nos. Ereruere autem ad Deum: Sicut autem hoc nobis est perquam utile & necessarium: ita cetera duo Deo sunt grata & gloriola. Hunc locum itaque tractabimus.

1. Vt discamus, quomodo ad Deum debeamus orare.

2. Quo-